

REX ET PASTOR

Haec fābula versibus hexametrīs scrip̄ta est.

Ōlim vīxērunt Rōmānī hominēs duo, quōrum

alter pāstor erat, rēx dīves et impius alter.

Rēx fidicen, pāstor tībīcen, uterque poēta.

Dum spectābat ovēs, pulcherrima carmina pāstor

5 (per calatum tenuem flandō) cantāre solēbat,

quae placuēre virīs in agrīs silvīsque propinquīs:

vēnātor cantū canibus fidīs comitātus

dēlectātur dum sequitur vestīgia cervī;

agricolae falcēs dēpōnunt percipientēs

10 sībila, nec pergunt fessōs stimulāre iuvencōs.

“Unde venit” dīcunt “tam dulce melos? Videāmus!”

Circum pāstōrem tum cōnsēdēre colōnī, et

valdē plausērunt, fīnītō carmine, cūnctī.

Vestibus indūtus pretiōsīs, impius ūlim

15 rēx arcessīvit cīvēs, mediō inque theātrō

stāns (fidibus sūmptīs), “Mē pulchrē audīte canentem!”

inquit, “Phoebō sum longē praestantior ipsō.

Mē mīrabiminī; dīcētis tālia verba:

‘Nōnne magister erat tuus ūlim magnus Apollō?’”

20 Hīs dictīsque lyrā coepit carmen modulārī,
atque patēbat eum nōn arte fuisse perītum
cantandī. Quīdam rīdentēs, “Nōn bene cantat.”
dīxērunt. Omnēs illum tum dēseruērunt.
Carmine fīnītō, rēx “Plaudite, plaudite!” dīxit,
25 sed dīxit ventō: vacuum fuit, ecce, theātrum!

Nōn necesse est laudāre tē ipsum: sī vērē laudandus es, certē laudāberis ab aliīs.